



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlm XIV. Licet canon.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM XIV.

Licit canon.

PARAPHRASIS.

In Concilio generali Lateranensi sub Inno-
centio III. editus est canon, *Cum in cun-
ctis, qui est 7. de elect. In eo cautum erat,
ut nemo ad ecclesiam parochialem pro-
moueretur, nisi xxv. ætatis annum attigis-
set, & scientiâ, ac moribus commendatus
esset: sed & quod promotus tempore cō-
stituto post monitionem sacerdotium su-
scipere deberet.* Sed quia constitutio hæc
à quibusdam negligentiis obseruabatur,
eam renouat, & amplius corroborat Gregor.
X. in Lugdunensi Concilio cap. 13,
statuens primò. *Vt promotio alicuius ad
ecclesiam parochialem, qui dictam æta-
tem asssecutus non est, ipso iure irrita exi-
stat.* Secundò: *Vt parochialem ecclesiam
legitimè asssecutus, in ecclesia sua perso-
naliter residere teneatur.* Tertiò: *Vt intra
annum à die sue promotionis numeran-
dum sacerdos fieri debeat, alioquin, post
elapsum annum, si sacerdotium non su-
ficerit, ipso facto priuatus existat.* Su-
per residentia tamen poterit Ordinarius,
videlicet Episcopus, aut simili iurisdi-
ctione præditus, ad tempus bene dispen-
sare, prout rationabilis causa postulauerit.
Consentit his Trident. ses. 24. c. 12. de
reformat. c. extirpandæ, 30. §. *Qui verò,
vbi Abb. not. 1. de præb.*

SUMMARIUM.

1. Omne beneficium curatum censetur ec-
clesia parochialis, ad cuius regimen 24.
annum completi in parocho requiruntur.
2. Tempus, in quo Episcopus super resi-
dencia dispensare potest cum eo, qui habet
curarum beneficium, est novo iure an-
num longius in casibus iure expressis,
quorum præcipuus est ob causam studio-
rum.

Quæ circa hoc c. dici possent, pleraque
explicata sunt in cit. c. cùm in cunctis, &

explicabuntur infra in c. cùm ex eo, 34. &
seq. hoc tit. & lib. Hic autem duo quarti pos-
sunt: Primum. Quænam censeri debet Ec-
clesia parochialis, ad cuius regimen xxiv.
anni completi requiruntur. Respondeo ex
Concil. Trident. cit. c. 12. *Esse omne benefi-
cium curatum, id est, cui cura animatum per
se incumbit, licet alioquin sit personatus seu
dignitas.* Nota autem, quod dico per se. Quia
si canoniciatui v. g. aut præpositura, que per
se curata non est, vñita seu incorporata fit
ecclesia parochialis, conferri illa potest mi-
norem ætatem habenti; v. g. præpositura
ei, qui xxii. annos compleuit, vt Cardi-
nes declararunt super cit. cap. 12. Ratio est:
Cùm enim beneficium vñitum accessorium
sit principali, ideo attenditur ad naturam &
conditiones beneficij principalis, nō accesso-
rij, vt etiam dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 9. n. 2.

Alterum quæstum: *Quodnam censeri de-
beat tempus breve, in quo Episcopus super
residentia dispensare potest cum eo, qui cu-
ratum beneficium adeptus est.* Respondeo:
Cùm iura hæc non decernant, boni vin-
abitrio relinquendum esse, secundum exig-
entiam rationabilis causæ, seu necessitatis. Sed
id nouo iure definitum, esse videtur in Con-
cil. Trident. sess. 7. c. 12. *Facultates de-
promouendo, præterquam in casibus iure
pressis, concessæ, ad annum tantum suffraga-
tur.* Casus autem, in quo maius tempus co-
cedi potest, præcipuus est ob causam studio-
rum, expressus in cit. c. cùm ex eo, & non
uit Gl. margin. super cit. c. 12. ses. 7. Trident.
Concilij.

CAPITVLVM XV.

Nemo.

PARAPHRASIS.

Idem Gregor. X. hoc can. (qui in Lugdun.
Concil. decimus quartus est) tria præci-
pit circa parochialium ecclesiæ commen-
das: Primum. Vt ecclesia parochia-
lis nemini commendetur, nisi legitimam
ætatem asssecutus, videlicet annum xxv. in-
gressus fit, & in sacerdotio constitutus.
Alte-